idem[n] Albertus annis 10. Postea non longe
idem Albertus rex apud Nuerenberch solempnem
celebrans curiam et de utilitatibus regni cum
principibus et maioribus disponens uxorem
1298 nov. 16. suam ~~Annam~~ reginam per dictum Wigboldum
Coloniensem archiepiscopum fecit similiter coronari. ||
Per idem tempus rex Dacie, rex Norwegie, rex
Swecie, marchio Brandeburgie et alii principes aqui-
lonis insulares apud civitatem Rostock ex condicto
convenientes celebrem ibidem curiam habuerunt,
ubi quidem affuisse circiter quinque milia
militum referuntur. Ibidem itaque dicti reges
et principes confederati civitates potentes illarum
partium ex diuturna temporum tranquillitate
fol. 108. iam locupletatas, impinguatas et delicatas, dictis
regibus et principibus et dominis suis iura
sua et subiectionis reverentiam reddere denegantes
cum exercitibus et armorum potentia fortiter
invadentes tandem post longas incursiones in
tantum humiliaverunt et earundem adeo
superbiam deiecerunt, quod suis per multa
postmodum tempora non presumpserunt maioribus rebellare. #
[Eisdem][1] temporibus Bonifacius papa VIII.

n) ibidem cod. o) ~~Annam supplevi.~~

1) In sequentibus [Licet] verba nonnulla Historiam imp. Colon. sapiant, aliam tamen quoque fontem adhibitum esse apparet, fortasse Bernardum Guidonis.